

QK. 267, 2b.

Reusner,

IV

Z d
5880



17K.



Ad 5884



RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

M. CHRISTIANUS

TRENTSCHIIUS Haynâ-Misnicus,

Logicæ & Metaphysicæ Professor

Publicus.



Agno ac gravi funere

opprimimur. In quo explicando

non ordinem nobis circumspicimus dicendorum; sed verò, quod ingentium curarum est, penitus stupemus. Ipse septimus hic labitur dies, quòd ereptus Academiae nostræ Antecessor primarius, idemq; longinquis ac excellentibus in Rempublicam meritis longè clarissimus, Vir Amplissimus ac Excellentissimus, JEREMIAS REUSNERUS, J. U. D. Collegij Juridici Ordinarius ac Senior, nec non Electoralis Curiae & Ecclesiastici Consistorij Assessor, finem fecit vivendi. Jacturam, quam in hoc tanto Viro fecimus, nec exprimere verbis licet atque oratione, & si hæc maxime daretur copia, intra angustiam præsentis scripturæ caderet haudquaquam. Itaque erit alibi locus decurrendi immensum hunc campum, & nos contenti erimus impræsentiarum strictim ac per summa quasi capita delibasse, quæ justam ac operosam meditationem promerebantur. Habet enim in Excellentissimo eo Viro, quod juxtà reverenter amplectatur imiteturq; seculum, exemplo tam illustri excitatum; & miretur deinceps posteritas

):(

ritas





ritas, adque omne ævum venerabili recordatione vehat. Quæ tantò sanctior semper integriorq; futura in REUSNERO est, quantò se latius porrigunt merita Amplissimi Viri, inque tot clarissimas provincias, quibus præfuit unus, diffundunt. Natus Leobergæ est in Silesia A. clō Ic XC. ad Maij ipsum quærtum Julianum diem. Fecit jampridem sibi propriam hanc laudem Silesia terra, ut quemadmodum frugum fructuumque lætissimo proventu, sic ingeniorum etiam, vincat alias quamplurimas ac anteeat longè. Itaque, quòd REUSNERI illam capacissimam artium excellentissimarum indolem protulit olim, tam non à se abijt sui malè memor, quàm provida eadem ac diligens in custodienda augendaque gentis REUSNERÆ illâ antiquissimâ familiâ, nunquam non est deprehensa. Quotusquisq; enim est, quem fugiat Leorinus ager, unde universum propè REUSNERORUM genus oriundum. In quo amplissima prædia ac fundos à multis retrò annis longoq; ordine possederunt. Ex quibus qui procreati NICOLAUS & BARTHOLOMÆUS sunt, tùm nostram, tùm Jenensem Academiam, quâ docendo publicè, quâ scriptis ex omni disciplinarum genere doctissimis, mirificè illustrarunt. Ut Vratislaviam interim, universæ Silesiæ celeberrimam metropolin, ac Argentoratum item taceam, quibus non parum gloriæ hæc ipsa nobilissima gens circumfudit. Ex eâ itaque ut originem duxit FRANCISCUS REUSNERUS, Leobergensis Civitatis primarius Vir: ita nostro equidem dedit Patrem. Sed nec minus celebritatis maternum genus habet. Prout enim matrem REUSNERUS, MARTHAM HOMBERGERIAM est nactus, honestissimi nominis fœminam, MELCHIORIS, Civis Lubenensis, filiam: sic HOMBERGERORUM familia BREITHORIANAE per proximam cognationem est innexa. Ex quâ in præsentem vel DAVIDEM suffecerit nominasse, patrem æquè ac filium, BREITHORIOS, quorum ille Regij Iudicij, quod Lubenæ est, Præsidem egit, alter J. U. Doctor Glogoviæ se tenuit. Cæterùm tinctus salutari fonte noster, inque Scholam patriam

patriam datus deinceps, in nonum usq; annum adolevit. Post hæc evocatus Jenam à Patruo NICOLAO REUSNERO, illo multò celeberrimo Jcto & Com, Pal. Cæs: quem diximus antè, non aliter ac filius ab eodem habitus atque amatus fuit. In cujus amplexu tres quasi annos vixit, oppidanæ Jenensis Scholæ simul discipulus. Sed cùm sapienter animadverteret Magnificus ille Vir, nihil cunctandum, nihil protrahendum in frugi ingenijs esse, de locupletiori uberioriq; cultu maturè nostro prospexit, inqve Portensem adeò Electoralem in viciniâ illâ situm Ludum ipse transportavit. Id quod ad annum accidit clō Iō c I. propè perductum ad finem. Ac dedit JEREMIAS noster illi Scholæ operam per integrum ipsum sexennium, ex eoque Condiscipulatu multos Clarissimos Viros, non sine singulari voluptate ac recreatione animi vidit. Quorum non postremos in nostrâ illâ Academiâ quoq; est amplexus. Exacto legitimo isto tempore Jenam redijt, intra familiam continuò receptus Patruï alteri ELIAE REUSNERI, Med: Lic: & P. P. Philosophicis literis ante omnia deditus sic profecit brevi, ut primæ Laureæ decus, quod à baculorum gestatione, quâ usi primùm in Parisiensi Academiâ, qui recens adepti honorem essent, traxit nomen, sextus ipse inter XIV. Competitores, citius deportaret pro virtute suâ, quàm ambiret. Ex eo tempore Juris prudentiæ se destinavit totum, nobilissimamq; artem inde usque à primis suis originibus hausit. Nam & præstantissimorum Jctorum operâ in ista Academiâ, imprimis autem VIRGILII PINGIZERI, ejusdem amplissimi Collegii Ordinarij informatione, quâ publicè, quâ privatim per quinque totos annos est usus; & quâ fuit eruditione præclarâ, alios ipse deinde etiam docere istas literas cœpit. Verùm, cum anno clō Iō c XII. ruens per ædes pestilens turbo ipsum quoque ELIAM REUSNERUM confecisset, patriam repetere noster & valedicere Academiæ ad tempus. Reversus tamen in sequenti anno Scholas non unas habuit, & nunc legendo, nunc disputando ex omni Juris complexu; profuit æquè plurimùm sui ordinis

);(2

Com-



Commilitonibus, & sibi eam pariter induit legitimarum rerum scientiam, ut palmam reliquis facile præriperet in isto genere, certè integram relinqueret nulli. Quò factum, ut Anno clō Iōc XIV. Nobilissimis Juvenibus, CÆSARI à PFLUG & RUDOLPHO à BUNAUI præficeretur morum ac disciplinæ magister. Quibus egregiè functus partibus in nostram demum Academiam descendit A. clō Iōc XV. ad d. IX. Maij, fasces Academicos moderante per illud tempus VALENTINO GULIELMO FORSTERO JCro. Vix mensem integrum compleverat apud nos, cum Disputationem publicam *De Recusatione Judicis* cum maxima omnium admiratione juxtà ac plausu habuit, & ad privatas operas se insimul condixit. Inter hæc unus & alter iterum exiere Menses, quò de consilio & auctoritate Agnati, BARTHOLOMÆI REUSNERI, Collegij Juridici Senioris & Ordinarij, Viri in omni doctrinarum genere excellentissimi, itemq; D. HERESBACHII, eò tempore sui Ordinis Decani, Doctrinæ, quam vocant, jus petijt. Quòd nullo negotio est consequutus, dum non multò post, hoc est, d. XIX. Decembr. ejusdem anni clō Iōc XV. quò nostram intraverat Academiam, titulo illo ac gradu in Juris arte supremo inter Competitores PAULUM NICOLAI, CHRISTIANUM KREMBERGIUM, GOTOFREDUM REUTERUM & BALTHASAREM HENKELIUM, insignitus publicè est solemniterque decoratus. Ab eo tempore & foro se dedit, & publica pariter atqve privata exercitia continuavit. Donec Ordini quidem Juridico Assessor Anno clō Iōc XVII. inter Advocatos autem Electoralis Curia Anno clō Iōc XVIII. ascriberetur. Cæterum cum idem ille, quem diximus BARTHOLOMÆUS REUSNERUS annis ac senio jam gravis, cathedralium laborum gratiam sibi à Sereniss. Saxon. Electore Anno clō Iōc XIX. impetrasset, datus noster ei Optio quasi ac substitutus eò fine est, qui emeriti Antecessoris partes, in publicis quidem prælectionibus, suppleret. Duravit ea vicaria dignitas in annum usq; clō Iōc XXI. quò ipsò ordinaria *Digesti Infortiati & Novi*
Pro-



Professio Serenissimi Electoris auspicijs nostro est demandata. Quam eandem cum alterâ *Digesti Veteris* Anno clō Iō c XVIII. & rursus *Codicis* Anno clō Iō XXXIX. novissimè autem cum Professione *Decretalium* Anno clō Iōc XL. post excessus Prædecessorum ordine commutavit. In eo Professorio munere Rectoratu ter, Decanatu sæpissimè functus est, abstinentiâ ac fide singulari, prudentiâq; summâ. Senioratum Collegij recepit Anno clō Iōc XXIX. ab obitu Agnati. De jure, Senator in Provinciali Curia Annos XXXI. in Ecclesiastico Senatu XIII. ut Facultatis Ordinarius suprâ XII. respondit. Undiq; & judicij gravitate rerumq; incomparabili pollens usu, & patientissimus laborum; quibus rebus nulli unquam mortalium celsit, nulli unquam fuit secundus. De matrimonio cœpit cogitare post impetratum Assessuræ in Collegio gradum. Itaq; uxorem sibi legitimis nuptijs Mainungæ junxit A clō Iōc XVIII. d. XXIII. Novemb. ANNAM MARIAM, Magnifici & Nobilissimi Viri, JACOBI SCHROTERI, Jcti & Cancellarij Hennebergici singularis fidei ac pietatis virtutumq; præstantissimarum filiam, Sponsaliorum solennibus ad d. XXII. Augusti antè peractis eodem in loco. Prout autem concordiam ac tranquillitatem nihil antiquius posuit in vitâ, ratus sapienter, nulla re aliâ magis nos ad divinitatis quandam imaginem accedere propius posse: sic ita convixit perpetuò uxori, ut pacis atque amoris arctissimi plenum illud quidem totum ipsis conjugium steterit, & nunc tantò atrociori clade se sentiat percussam superstes afflictissima matrona, quantò sanctior teneriorq; fuit affectus, quò se nunquam non recogitat fuisse complexum desideratissimum maritum. Liberos ex ea omninò novenos sustulit. De quibus terni diem suum pridem obierunt. Cæteri superant Dei beneficio, inque ijs præter filium JOHANNEM JEREMIAM, rarioris ac summæ spei Juvenem, ANNA MARIA, Viri Amplissimi, CHRISTOPHORI BRESLERI, J. U. D. Consiliarij Barbijensis Facultatis Jurid: Assessoris & Reipublicæ Wittebergensis Syndici uxor: MAGDALENA, ANDREÆ JAHNI, J. U. L.



& Reipubl. Gubenensis Syndici : CATHARINA, THOMÆ
DE WEDIG, J. U. L. & Scabinatus Hallensis Assessoris, Viro-
rum Clarissimorum Conjuges: DOROTHÆA deniq; & CHRI-
STINA ELISABETHA natu minores puellæ. Nepotes ali-
quot vidit spirans, eoq; nomine tum gavissus sibi vehementer est,
tum gratulatus etiam de prærogativa ista, quæ paucorum est, &
non nisi Dei singulari bono contingit. Ut rectè educerentur,
quotquot ex se nati, diligentissimam ac primariam operam dedit.
Non minus satagens futuri & providus in posterum, quam *qui*,
quod ille ait, *arbores serunt, quæ alteri seculo profint*. Anno clō
Ibc XLVI. infestari gravissimo morbo cœpit, eodemq; ex catar-
rhorum vehementioribus defluvijs orto. Quamquam diu antè si-
bi malè cum valetudine convenerit, quam mirificè concussit eo
imprimis tempore, cum militarium negotiorum cura publico A-
cademię nomine sibi commissa esset. Dum enim optimè consu-
lere in medium, & succurrere salutisq; communibus stu-
duit, non rarò venit usu, ut ab impotente sui milite pessimam
gratiam referret, hinc contentionibus commissus ac minis obni-
tentium, hinc curis distractus ac vigilijs perpetuis, quas moles
illa infelix creabat. Quæ res fecit, ut decumbendi necessitate
nonsemel proximis annis premeretur. Eluctatus tamen est, &
cum superiore anno clō Ibc L. ex præscripto Medici Thermarum
Carolinarum accessisset usus, videbatur sanè omnibus redijisse
non malâ fide in gratiam cum sanitate, dum & subductum phleg-
ma non turbaret amplius tam immane, & ciborum appetentior
stomachus deprehenderetur. Sed lubrica sedit hæc spes & fallax
prorsus. Quæ etsi in alterum, admodum se ostentaverit annum,
proximo tamen vere decollavit iterum, & contra metum haud
levem injecit. Inde enim ex eo tempore & malè habere noster, &
difficuler progredi in publico, & in pejus omnia ire. Quare, ut
exesse sacris ne oporteret tandem, ad extremum currus ventione
est usus. Quamquam nec id diuturnum fuit. Cum n. fenescerent
indies magis ac magis vires & tantum non in horas propè singu-
las



las collaberentur, intra Museum primò, deinde verò cubili con-
tinuò hæsit; in quod ipsum pertinacior morbi vis die XXII. men-
proximi coniecerat. Ex Medicis didicimus, hydropem fuisse,
inq; hoc demum desuisse malum, quicquid infani humoris pitu-
itosum corpus aluerit antè. Quamprimum itaq; decubuit, astan-
tibus ominabundus prædixit, non prius se absolutum lecto illo
iri, quàm ipsâ vitâ. Altero die accersitò Verbi Ministro non pec-
catorum tantum edidit confessionem, sed fidei etiam universæ;
magno ac constanti animo professus, & amplecti se solius invari-
atæ Augustanæ Confessionis doctrinam, & fretum divinâ ope
nullam amplexurum aliam in extremum usque vitæ halitum esse.
Peractâ ritè exomologesi Sacrosancta Dominicâ Cænâ est usus,
atque hoc verèdo instructus viatico permisit se totum optimo
Servatori, remotis cunctis terrenis, & quæ abstrahere à cælestium
rerum meditatione possent. Quâ pietate sua ut defungi plenius
posset, Musicos choros, quibus maximè ducebatur in vitâ, fre-
quenter instituebat, idq; domesticos, quos habuit, advocari non
semel curavit. Pridiè festi novissimi diei, cum accineretur cantio,
quæ à justorum morte exordium ducit, subsequutus tremulâ voce
noster testatus non obscure modò desiderium suum est; verùm
continuò etiam præivit alteram adhortationis sanctissimæ ple-
nam cantilenam, quâ laus ac perennis gloria sacræ ac indivulsæ
Trinitati destinatur. Mox ad Sacerdotem conversus respondit,
& inniti se constantissimè Salvatoris unici meritis, & miserrim-
um fore mortalium omnium, hoc abque si esset. Continuò sa-
crum TRISAGIUM ingeminavit & de certitudine salutis suæ ex
Paulino loco illo condocuit, quò nec præsentia nec futura nec
quicquam alterius rei aliquid contra *dilectionem* illam posse de-
monstratur, *quæ in Christo JESU est*. Ad diem ipsum MICHAELI
Archangelo consecratum acquievit placidissimo obitu sub no-
nam ingruentis noctis: itaque vitam posuit Amplissimus Vir, qui
de Urbe & Academiâ hæc, deq; universâ communi re tam præcla-
rè ac laudabiliter meritus est. Ita habet quidem, exiguum no-
bis



bis vitæ curriculum natura circumscripsit: quod si modum ta-
men computamus annorum in REUSNERO, sexagesimum &
tertium jam attigit, ac magnam partem confecit quoq;. Atqui,
quotusquisq; est, qui eò ætatis procedat? Vestrum est, CIVES A-
CADEMICI, prolixè ac copiosè nobiscum comitari hoc tantum
funus, cum ad Hor: I. deinde ex ipsis REUSNERIANIS ædibus
ducetur in oppidanum Templum primò, ut habeatur Concio;
inde in Academicum ad Arcem ut ibi ritè componatur functus.
Neq; enim aliquid aliud superest ad supremam pietatem, quam
debemus nostro, quàm ut comiter habeamus juxtà exanimem,
& mandatum terræ nunquam non postea venerabiliter recorde-
mur. P.P. ad d. V. Octobris, anno recuperatæ gratiæ
cl. Ibc LII.



WON



ca-
&
vi,
A-
m
ous
io;
us.
am
m,
de-
tia

3
1
109
197
171
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

ULB Halle 3
004 703 960





Kd 5880 ~~614~~

n. 5



ACADE
M. CH
TRENTS
Logicae

M Ag
oppr
non o
cendorum; sed ve
stupemus. Ipse
Academiae nostrae
ginqvis ac excellent
mus, Vir Amplissim
REUSNERUS, J. U.
nec non Electoralis
finem fecit vivendi.
mus, nec exprimere
mè daretur copia,
haudquaquam. Ita
hunc campum, & no
ac per summa qual
meditationem pron
mo eo Viro, quod ju
lum, exemplo tam i



5884

S
S,
e
do
di-
itus
otus
on-
rifi-
A S
nior,
ffor,
eci-
maxi-
leret
sum
tim-
sam
tifi-
ecu-
ofte
ritas

